

" Nihil denique quod in dedecus, aut in incommodum Magistro sive Sociorum alicui, aut Collegio ipsi verti posse credidero, conabor, sed neque conantibus ipse ullo modo consentiam, quoad vixero. Haec omnia in me recipio et polliceor."

CAP. XXVII.

De Disciplina Collegii.

Scholares atque alii omnes qui in statu pupillari sint ad debitam reverentiam et obedientiam erga Magistrum et ceteros Officiarios Collegii exhibendam tencantur; quiete et decore se gerant; Statuta omnia atque Ordinationes a Magistro et Sociis de tempore in tempus ad Collegium regendum faciendas obseruent. Si quis eorum Statuta vel Ordinationes praedictas observare neglexerit, aut culpam aliquam contra disciplinam Collegii et bonos mores in se admiserit, per Magistrum, vel ejus vicem gerentem aut Decanum eorum vice fungentem, puniatur secundum arbitrium eorum. Proviso quod nemo a Collegio aut in tempus aut penitus amoveatur, neque Scholaris emolumentis suis privetur, nisi a Magistro et Sociis in hoc convocatis.

CAP. XXVIII.

De Mancipe, Coquo, aliisque Famulis et quodam Magistri Famulo.

Postremo quosdam intra Collegium dictum advertimus discipulis ipsis inferiores, famulos videlicet et mercenarios, quos universo corpori pedum loco habendos esse judicamus. Mancipem, coquem, aliasque famulos esse volumus qui omnes honestae et bona conversationis sint, imprimis curandum est. Neminem autem horum conduci volumus sine consensu Magistri et majoris partis Sociorum. Et quendam prater hos Magistro famulum permittimus, ad sua negotia peculiaria, a Magistro ipso conducendum.

CAP. XXIX.

De Beneficiorum Collatione.

Quoties contigerit beneficium aliquod vacare, cuius presentatio ad Collegium jure patronatus pertineat, Magister et Socii, intra trium mensium spatium a vacatione predicta aliquem ex suo numero, si ita fieri poterit, eligant quem maxime statuerint esse idoneum, quique nullum habeat aliud beneficium ecclesiasticum, cui animarum curam aut residendi necessitatem leges, statuta aut consuetudines hujus regni vel beneficii ipsius fundatio, vel locale statutum aut consuetudo annexuerunt; eumque dicceseos illius Episcopo, in qua erit vacans ecclesia vel alteri cuicunque instituendi pastoris sive rectoris potestatem habenti, praesentent ab ipso in pastorem sive rectorem ecclesiae praedictae admittendum et instituendum.

Sin vero neminem talem in suo numero invenire poterunt, tunc licebit Magistro et Sociis aliunde sumere quem in beneficium instituendum praesentent.

Advocationes cuiquam concedendi Magistro et Sociis omnem facultatem penitus praescindimus, ut et impro priationibus assentiendi protestatem.

CAP. XXXI.

De Pensionariis intra Collegium admittendis.

Circumspicientes adhuc unde pernices aut malum aliquod huic corpori oriri queat, non videmus id facile fieri posse ex membris ipsis cum tam exacta cujusque personae priusquam in illum numerum recipiatur probatio habenda sit. Maxi-

mum ergo quod veremur, est, si quosdam praeter hunc numerum convivas, et Pensionarios admittant, quorum non integra conversatio alios forte corrumpet atque ita sensim universi reliqui corporis labes sequitur: Volumus igitur et statuimus quod nemo alias ut Pensionarius admittatur ad convictum et conversandum in dicto Collegio nisi qui testimonio Magistri et majoris partis Sociorum probatae ac famae inviolatae fuerit; quique etiam Scholaribus, Sociis, aut Discipulis in moribus probis excolendis, artibus scholasticis exercendis et divinis officiis celebrandis, se conformaturum fideliter promiserit, et hisce nostris Statutis et Legibus obtemperaturum, priusquam intra dictum Collegium admittatur. Neque quenquam Pensionario prædictorum diutius in Collegio morari permittimus quam ut Scholastica exercitia, quæ ceteris sua conditionis imponentur diligenter obeat, et moribus talis esse perseveret, ut Magistri judicio probetur. Nullum etiam pro Pensionario ad convictum Scholarium admitti vel in Collegio morari volumus, qui beneficium aliquod nactus est curam animarum annexam habens.

CAP. XXXII.

De ambiguis et obscuris interpretandis.

Quod si quid obscuri vel ambigui in his nostris Statutis emergetur quod interpretationem necessariam desideret, de eo Magistrum et Socios in Collegio praesentes tractare volumus, et interpretationem quam ipsorum pars major fecerit pro vera et legitima haberi et teneri. Quod si inter ipsos modo prædicto non convenerit, vel si quispiam ex Sociis vel Scholaribus interpretationem illam iniquam esse queretur, tunc intra decem dies a tempore tractatus prædicti Magistrum Collegii Christi et duos seniores in Sacra Theologia Doctores Universitatis prædicti adiri volumus, et quam sententiam Statuti controversi duo ipsorum esse decreverint, ex ea volumus controversiam prædictam terminari, omnesque in eadem acquiescere.

CAP. XXXIV.

Statutum de Camera consanguineis Fundatoris reservanda.

Cum per Fundatoris Statuta constitutum sit ut camera una, ex earum numero quæ tunc temporis recens exstructæ erant, posteris et consanguineis suis sub certis conditionibus reservaretur, volumus et statuimus ut integra in posterum maneat Fundatoris de hac re constitutio, et reservetur semper camera ab illo designata posteris et consanguineis ejus assignanda (si qui in Collegio fuerint) prout in Statutis ab ipso editis constitutum est.

CAP. XXXV.

De Valore Pecuniae mutato.

Si quando ob mutatum pecunia valorem, summae in his Statutis expressæ aut majores aut minores æquo viæ fuerint Magistro et Sociis, ita ut injuria afficiantur vel singulorum vel Collegii commoda, tunc licebit iis, per literas Sigillo Collegii communis consignatas, approbante Procancellario Universitatis, aut augere aut diminuere summas prædictas, ita ut pares et æquæ fiant: quæ summae pares et æquæ in posterum vice summarum in his Statutis expressarum stent; idque fiat quoties necessitas postulabit.

CAP. XXXVI.

De Jure appellandi ad Procancellarium.

Ubicunque his Statutis jus appellandi ad Procancellarium Universitatis concedatur, Procancell-